



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis**

**Véron, François**

**Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]**

3. Intentiones variæ communicantium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

## PARS TERTIA.

*Varia affectiones, & intentiones, quas habere possunt ij, qui ad SS. Eucharistia Sacramentum sæpius accedunt. Itemq; Sacerdotes sæpè celebrantes.*

1. Aliquos trahere potest amor Dei, ut dilectum ad se inuitent sæpius, eumque in se delectabiliter amplectentur.
2. Aliquos propriæ infirmitatis intuitus, ut eum quasi medicum ad se inuitent, per quem ab omni infirmitate sanentur.
3. Aliquos cōscientia delictorum; ut per eum, quasi per hostiam placationis, à peccatis omnibus expiati purgentur.
4. Aliquos desiderium impetrandæ alicuius gratiæ, vel beneficij per Dominum IESUM.
5. Aliquos gratiarum actio pro beneficijs Dei; cum nihil habeant dignius reddere Deo, pro omnibus quæ retribuit nobis, quam accipere hostiam salutis, redemptionis monumentum, & redempti mumentum.
6. Aliquos laus, & honor Dei, & sanctorum; cum nō habeamus maius, in quo possimus Deum, & sanctos pro dignitate honorare.

7. Aliquos pressura alicuius tribulationis, ut per eum, cui omnia patent, ab omni aduersitate citius liberentur, & secularius protegantur.

8. Aliquos caritas, & compassio proximorum; cum pro salute uiuorū, & requie mortuorum nihil interpellet apud Patrem efficacius, quam sanguinis Domini Iesu.

---

### PARS QUARTA.

*Aliquot considerationes ad ingenerandam animis nostris reuerentiam erga hoc sacramentum, per modum meditationis vsurpanda.*

1. Quis ego sum benignissime Iesu, ut desiderio apud me manendi tenearis? Num vilissimam originem meam ignoras? Non sum ex numero caelestium illarum legionum; non sum Seraphim, non Archangelus, non Angelus, nec aliquis ex sacratissimis spiritibus. Homo sum, qui ante nihil fui, ex terrae limo ducens initium. *Putredo pater meus est, mater mea, & soror mea uermis.* Quid igitur reperis in me quod te tantoperè delectet, & tecto ac domo inuitet?

2. Sed fortasse, ô speciosissime forma pro filijs hominum, deliciae tuae sunt esse cum

filijs